UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

XI. Bischof Friedrich von Camin verleiht den Wohlthätern der Pfarrkirche zu Schönfließ einen Ablaß, am 29. März 1332.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55515

Visual Library

XI. Bischof Friedrich von Camin verleiht den Wohlthätern der Pfarrkirche zu Schönfließ einen Ablaß, am 29. März 1332.

Fridericus, Dei gracia Epiſcopus camminenſis eccleſie, univerſis Chriſti fidelibus preſencia viſuris ſalutem noſtram ſempiternam. Deum hinc credimus propicium, cum devotos ejus ad devocionem et pietatis opera per indulgencias et dona ſpiritualia converterimus. Hinc eſt, quod volentes eccleſiam parochialem ſancte Marie in Schowenflet eternis honoribus frequentari, omnibus vere penitentibus et confeſſis, qui eandem cum devocione viſitaverint et ad ſtructuram et ornamenta ejusdem manus ſuas porrexerint adjutrices, quique cemiterium ejusdem orando pro defunctis devote circumierint, quocies aliquid promiſſorum fecerint, quadraginta dies miſericorditer relaxamus ac illis eciam, qui corpus Chriſti, cum ad infirmos portatur, fuerint inſecuti, indulgencias eciam eidem eccleſie conceſſas ab aliis venerabilibus patribus Dominis archiepiſcopis et epiſcopis in nomine omnium confirmamus. Datum Schowenflet, Anno domini MCCCXXXII, dominica letare, noſtro ſub ſigillo.

Aus Dickmann's Urkunden-Sammlung des Königl. Geh. Staatsarchives f. 248.

XII. Markgraf Ludwig geſtattet der Stadt Schönfließ wegen ihrer Anhänglichkeit für ihn und der dadurch erlittenen Verluſte auf 6 Jahre Zollfreiheit und das Recht zur Getreideausfuhr, am 22. Februar 1334.

Anno eodem (MCCCXXXIV.), in prempzlow in kathedra ſancti petri. Nos Ludovicus etc. Attendentes turbaciones et iacturas, quas dilecti noſtri ciues in ſchawenuliet ob noſtri nominis amorem pertuliſſe nouimus, hanc graciam ex ſpecialis beneficii munificencia decreuimus facere ſubſequentem, videlicet quod ipſi ſiliginem ad oderam vel ad alias aquas, vbicunque ipſam pretioſius vendere poterint, educere valeant ſine quolibet inpedimento, liberam facultatem ipſis dedimus et conceſſimus, Et quod etiam a cuiuſlibet thelonei datione de ſuis mercimoniis ſiue rebus dandi ad ſex annorum ſpatium a die datarum preſencium computando, ſic quod nullus officiatorum aut ſubditorum noſtrorum prenotatos ciues tam in ſiliginis eductione, quam in thelonei exactione ſeu receptione moleſtare preſumat, ſed quod liberi permaneant et durante premiſſo tempore omnimode liberati. In cuius etc.

Aus dem Leipziger Copialbuche der Vogtei Landsberg Bl. 24. Nr. IX.